

Declaratur nullum præjudicium per Constitutionem : Romanus Pontifex generatum Privilegijs Ordinis Prædicatorum legitimè competentibus ante Constitutionem Pretiosus, & præcipue circa Processiones Solennes SS. Eucharistiæ SACRAMENTI & SSmi Rosari.



C L E M E N S PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.



Um sicut accepimus, etsi ex ipso tenore Constitutionis Nostræ tertio Kalendas Aprilis Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXXI. quæ incipit: ROMANUS PONTIFEX &c: promulgatæ, perspicuè luculenterq; appareat, per moderationem à Nobis inibi adhibitam, nonnisi ad terminos juris redacta fuisse inter alia Constitutionem felicis recordationis BENEDICTI XIII. Prædecessoris Nostri, cujus initium est: Pretiosus &c: Anno ejusdem Incarnationis Domini MDCCXXVII. septimo Kalendas Junij emanatam, ejusq; declarationes, ac privilegia illa, gratias, honores, indulta, exemptiones, facultates, & declarationes, quæ ibidem Ordini Fratrum Prædicatorum de novo concessa fuerant. Nihilominus aliqui constitutionem Nostram finistrè ac secus, quàm par est, interpretantes, plerumq; lites, & Controversias Fratribus prædictis moverint in diversis locis, ac tribunalibus, per quas privilegia, & prærogativas, quibus iidem Fratres, priusquàm ipsa Constitutio BENEDICTI Prædecessoris emanaret, ex alijs legitimis titulis, & concessionibus Apostolicis potiebantur, aggredi, & oppugnare adnituntur, dictusq; Ordo præcipue vexetur occasione celebrationis duarum Processionum, publicarumvè Supplicationum, SS. nempe Eucharistiæ SACRAMENTI, ac Rosarij B. Mariæ Virginis, tametsi illam SS. Eucharistiæ SACRAMENTI die Dominica infra Octavam Corporis Christi à recolendæ memoriæ PIO V. & CLEMENTE VIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, juxta ejusdem CLEMENTIS Prædecessoris die VIII. Martij MDXCVII, alteram verò Rosarij B. Mariæ Virginis, Dominicâ primâ Octobris ab ipso BENEDICTO Prædecessore per suas die X. Aprilis MDCCXXV, in simili forma brevis respectivè expeditas literas, necnon declarationem die XVIII. Julij MDCCXXVI. desuper editam quot annis peragendi facultas eidem Ordini disertè indulta fuerit, adeoq; ante memoratam BENEDICTI Prædecessoris Constitutionem, in qua, ejusq; declarationibus Ordini prædicto nihil amplius circa duas Processiones præfatas tribuitur, quàm quòd jam antea per eisdem PIUM, CLEMENTEM & BENEDICTUM Prædecessores attributum fuerat. Et quia *mens & intentio Nostra non est, nec unquam fuit, gratijs indultis*, exemptionibus, & privilegijs dicto Ordini Fratrum Prædicatorum ante enarratam BENEDICTI Prædecessoris Constitutionem concessis, præsertim respectu duarum Processionum hujusmodi, aliquod vel minimum generare præjudicium. Hinc est, quòd Nos lites, & Controversias præfatas è medio tollere, earumq; occasionem & quodvis aliud in præmissis impediment in turbare cupientes, necnon Ordinem & Fratres prædictos specialibus favoribus & gratijs prosequi volentes, ipsorumq; Fratrum singulares personas à quibuscumq; excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris & penis, à jure vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supra dictas CLEMENTIS, & BENEDICTI Prædecessorum literas, editamq; ab eodem BENEDICTO Prædecessore declarationem, quo ad duas Processiones, publicasvè supplicationes præfatas, cum omnibus, & singulis, in eisdem literis, & declaratione dispositis & contentis, auctoritate Apostolica harum serie approbamus, confirmamus, & innovamus, illisq; inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illa deinceps exactè observari, atq; executioni demandari, eadem auctoritate tenore præsentium præcipimus, & mandamus. Decernentes præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosq; plenarics & integros effectus fortiri, & obtinere ac Ordini & Fratribus prædictis, alijsq; ad quos spectat & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, sicq; in præmissis per quoscumq; judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Sedisq; Apostolicæ Nuntios, aliosvè quoslibet quacumq; præeminentia, & potestate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis ac Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus & singulis, quæ in CLEMENTIS, ac BENEDICTI Prædecessorum literis & declaratione præfatis concessa sunt non ob stare, cæterisq; contrarijs quibuscumq; volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarij publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsi præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die X. Aprilis MDCCXXXIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Fr. Cardinalis Oliverius.

Supra scriptam Bullæ Copiam ex libro compæcto Romæ Typis impresso Anno MDCCXXXV. cujus titulus talis: Bullarium Ordinis Fratrum Prædicatorum sub auspicijs SSmi Dni Nostri D. CLEMENTIS XII. Pontificis Maximi operâ Rndissimi Dni Fr. Thomæ Rippol Magistri Generalis editum à P. Fr. Antonino Bremond S. Th. M. Provincia Tolossana Ordinis memorati Alumno &c. Tomus sextus ab Anno 1621. ad Annum 1735. desumptam & collationatam, cum ipso tenore in præfato Bullario contento, concordare attestor. In cujus rei fidem præsentis subscripsi & Sigillo Illustrissimi ac Rndissimi Dni D. Fabrij Serbelloni Archiepiscopi Patracensis & Nuntij Apostolici in Regno Polonia &c. Communi Varsavia in Cancellaria Nuntiaturæ Apostolicæ hac die trigesima Mensis Augusti. Anno Dni 1740.

Petrus Jaszkowski Publ. Sacra Auctoritate Apostolica Notarius, & Nuntiaturæ Applicæ in Regno Polonia Vice-Cancellari.

(L.S.)

Adnotationes
ad

Breve Censuræ de
Præsentatione

Señe la u O Don

UK

XVIII. 3. 228

XVIII.3.228